



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Sed quid, si is qui verâ cel fictâ promissione matrimonii, seduxit aut
stupravit, nec potest satisfacere nisi nubendo, habeat votum castitatis aut
Religionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Quòd si mulier corrupta nolit nubere sedu-
 etori volenti promissum complere, is juxta
 multos non tenetur eam dotare, si sit æqualis
 conditionis, ex Reg. Jur. 41. in 6. *Imputari
 non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod
 per eum fuerat faciendum.* & ex hac 66. *ibid.*
*Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs
 conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si im-
 pleta fuisset.*

Enimverò nuptias solum promisit, & mu-
 lier non habet justam causam aliud exigendi
 locò illarum. Sed juxta Panormit. Tenetur
 eam dotare, si foemina sit longè melioris con-
 ditionis, nec velit ei nubere; quia damnum,
 & dedecus illatum non resarciretur talibus
 nuptiis, sed novum inferretur. Quod verum
 est, si damnum, & dedecus familiæ inde fe-
 queretur; nam mulieri non fuit iniuste illa-
 tum, si (ut suppono) sine vi, & fraude, sed sola
 promissione matrimonii adducta consensit
 in copulam, sciens inæqualitatem conditio-
 nis.

*Sed quid, si is qui vera, vel ficta promissione matri-
 monii seduxit, aut stupravit, nec potest satis-
 facere nisi nubendo, habeat votum casti-
 tatis, aut Religionis?*

Resp. Si votum secutum sit deflorationem,
 ex communi, tenetur ducere: quia jam antè
 erat Jus strictum foeminae acquisitum, & obli-
 gatio eam ducendi. Quare votum votum
 non

non potuit esse de non contrahendo hoc matrimonio, alioqui nullum esset, cum sit de re illicita. Sicut invalidum est votum dandi pauperibus id, quod jam alteri debitum est ex Justitiâ.

Si autem votum præcesserit copulam, adhuc *juxta communem, aut saltem communioem*, tenetur eam ducere; saltem post obtentam dispensationem voti, quam tenetur petere, si hæc votum ignoravit. Quia 1. executio voti, non ineundi matrimonium, jam facta est ei illicita respectu talis mulieris, cum fieri nequeat sine gravi eius iniuria. 2. Quia, inquit De Lugo, obligatio voti provenit solum ex libera voluntate gratuita voventis, qui sibi imponit talem obligationem. Non potest autem aliquis velle se obligari tali genere obligationis in præjudicium Juris alieni, quia non potest ipse propria auctoritate alieno Juri derogare. Unde votum involvit hanc conditionem tacitam si potero implere sine præiudicio Juris alterius. 3. Si quis vovisset dare omnia bona sua pauperibus, si postea gravem iniuriam in bonis alteri inferret, teneretur restituere per bona voto promissa pauperibus. 4. Tunc potest, & debet petere dispensationem voti, seu dilationem executionis eius: quivis enim tenetur adhibere media licita necessaria ad actum Justitiæ exercendum. Si tamen foemina scivisset votum, tunc corruptor non tenetur eam ducere: quia illa non bona fide contraxit

xit, cum videret eum non posse licite nuptias promittere; nisi forte ipse ei persuaserit se facile obtenturum dispensationem, quo casu tenetur eam sibi comparare.

Quid dicendum de seductore mulieris non Virginis?

Resp. Patet ex dictis. Itaque qui viduam honestam, vel mulierem ab alio corruptam, sed quæ passim virgo habebatur, promissione matrimonii etiam simulata seduxit, tenetur eam ducere, si ipsa velit: nam hæc promissio facta est in modum contractus, *do, ut facias*: cum mulier det sui corporis usum, ut ille promissa perficiat. Quod si fictè promisit, adhuc tenetur: quia tenetur tollere deceptionem, & injuriam illatam. Si autem vi, aut fraude sine tali promissione seduxit, tenetur antè sententiam judicis damna inde secuta compensare, cum sit iniusta illorum causa.

Q. 2. Ad quid tenetur, qui sub promissione matrimonii consanguineam violavit?

Sic respondet De Lugo, Si impedimentum sit tale, in quo Papa nunquam soleat dispensare, ut inter consanguineos in I. Gradu transverso, vel certè in quo non soleat dispensare, nisi ex gravissima causa, qualis tunc non datur; tunc promissio est invalida propter impossibilitatem rei promissæ: ac proinde solum erit obligatio satisfaciendi, & resarciendi damnum

alio